



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118626

§. 99. Guidonis Ascanii Sfortiæ Cardinalis extrema.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

Sæcul. XVI.
A.C. 1564.

§. XCIX.

*Guidonis Ascanii Sfortiæ Cardinalis
extrema.*

Ciacon.

pag. 566.

Andr. Vid.

in add. ad

Ciacon. Ug-

hel. l. c.

Alter erat Guido Ascanius Sfortia, qui ex Bosio Sfortia II. Sanctæ Floræ, & Castelli-Arquati Comite, necnon ex Constantia Farnesia Pauli III. Papæ filia die vigesima quinta Novembris Anno supra millesimum quingentesimo decimo octavo progenitus erat. Is cum decimum sextum ætatis suæ annum agens, Bononiæ in Farnesiano Collegio per Petrum Ancharonum ejusdem familiæ Jurisconsultum instituto sedulus operam navasset, licet adhuc juvenis esset, a Paulo III. Papa Anno Christi millesimo quingentesimo trigesimo quarto unacum aliis Præfulibus purpura decoratus, & Diaconorum ordini sub titulo SS. Viti, & Modesti adscriptus fuit, quamvis vulgo Cardinalis Sanctæ Floræ nuncuparetur, progressu tamen temporis titulum sanctæ Mariæ in Cosmedin, & postea S. Eustachii, ac denique illum S. Mariæ in via lata adoptabat. Paulo post Ecclesiarum Anglonensis, Montisflaconis, & Cornetanæ, Clusinae, ac Parmensis Administrator, necnon Patriarcha Alexandrinus, & Bononiæ, Æmiliæque Legatus, ac dein Sacræ Romanæ Ecclesiæ Came-

Camerarius electus, & in Pannoniam ad bellum contra Turcas ab eodem Paulo III. missus fuit, ubi excitatam apud omnes prudentiæ opinionem felici eventu superabat: sub Julio III. autem Parmam ad Octavium Farnesium mittebatur, ut pro rebus Parmensibus, antequam Pontifex bellum susciperet, pacis consilium caperet: insuper sub Pio IV. Hispaniæ Protector, pacisque inter Philippum II. Regem, & ipsum Pontificem conciliator extitit.

Sæcul. XVI.
A.C. 1564.

Tandem Anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo sexagesimo quarto die septima Octobris nonnisi quadraginta quinque annos natus, cum Parmensis Diæcesis suæ Ecclesias lustraret, vivis ereptus est: porro corpus ejus Romam deferebatur, atque in Basilica S. Mariæ Majoris, cujus Archipresbyter erat, terræ mandabatur, ubi etiam ejus sepulcralis inscriptio visitur.

§. C.

Cardinalis de Monte mortuus.

Tertius erat Christophorus de Monte Aretii in Etruria natus, de quo referunt nonnulli, quod ejus Familia nomen suum traxerit a quodam oppido, Monte-Sanvino dicto, atque in Diæcesi Aretina sito, ubi etiam Joannes Maria de Monte a Paulo III. Cardinalis creatus,

Ciac. p. 768.
Pet. Just.

Y 3

tus,